



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

Intellectus & sensus comparatio, cap. 9.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

actu, actu nimirum eiusdem generis, hoc est ab eo qui scientiam actu habeat. Neque in his maior est difficultas.

INTELLECTVS ET SENSUS comparatio.

CAPVT NONVM.

TEXTVS.

Φαίνεται γὰρ τὸ ἀρᾶς ἔχειν, ὡς δὲ καὶ αὐτὸς τὸ ἀρᾶς ἔχειν, ἀρᾶς ἔχειν ἢ ἀρᾶς ἔχειν, οὐδ' ἂν ἴσθαι, ἀρᾶς ἔχειν ἢ ἀρᾶς ἔχειν, ἀρᾶς ἔχειν ἢ ἀρᾶς ἔχειν, ἀρᾶς ἔχειν ἢ ἀρᾶς ἔχειν.

Text. 28. Videtur autem sensibile quidem ex eo, quod potestate sensibilem est actu efficere. Non enim patitur neque alteratur. Quare alia species hac motus. Motus namque actus erat imperfecti. Simpliciter autem actus alius, qui perfecti.

COMMENTARIVS CXVII.

De intellectu haftenus ita differuit Philosophus, ut quoniam propria sit ipsius natura primum docuerit: deinde quomodo intellectio fiat: tum de intellectu agente, ad extremum de intellectu obiecto & intellectione dixerit. Absoluta fortasse tractatio videri possit. At siue quod in intellectu cognitione tradenda plurimum vsus est sensu; & quidem illud fuit tractationis principium (si intelligere est sicut sentire) siue quod & intellectus & sensus cognoscetes ambo sunt facultates, sensibilem obiectorum vna, altera intellectibilem. Placuit illi iam post vtriusque explanationem comparationem illorum quandam instituire, & quid vtriusque commune sit, quid singulorum proprium adnotare. Hoc Themistij quoque, Auerrois, & S. Thomae iudicium fuit. Sed & Philoponus & Simplicius, qui de actu intellectus sermonem volunt institui, fateri coguntur aliquid prius de sensu dici. Cuius rei duplicem alter rationem habet: Aut quod tum sensus tum intellectus citra medium operatur: Aut quod in distinctione intellectus actui à theoretico sensus exemplis vsus est. Alter verò vt ex sensu intellectus actui operatio explicetur, vt enim antea de theoretico agens vtatur sensu quatenus simpliciter cognoscens est, ita nunc eodem vtitur quatenus iucundum & molestum percipit: vt ita nos deducat ad eum intellectum, qui non solum cognoscens est, sed bonum inuestigat & malum.

Verum hæc ipsa sensus & intellectus considerationem & comparationem continent. Propositionis autem verbis duplex similitudo significari videtur. Prima proximorum fortasse superiorum verborum occasione inducitur. Quomodum enim intellectum potestate scientem fieri dixerat, actu scientem ab aliquo actu sciente, & omnino quæcumque sunt actu, ex eo, quod est actu, fieri oportet: Ita sensum quoque addit ex potestate ad sentiendum actu deduci ab obiecto natura sua & actu primo sensibili. Altera verbis illis significata (non enim patitur, neque alteratur) secus à Themistio, quam à cæteris, fuit exposita. Etenim is actionem sensus intellexit, qua sensationis actum promit. Cæteri passionem illius potius ab obiecto dum ex potestate ad actum venit, dici

maluerunt: neque passionem esse proprie, neque alterationem, neque omnino motum vultum. Non enim actione obiecti vlla, qua patiatur sensus aut alteratur, sed à sola sensibilibus presentia deducitur in actum, inquit Philoponus. Quæ verba considerent illi, qui species intentionales ponunt. Aut si motus vllus ad sit, vt per se realis adest à lumine, sono, odore, sapore, & tactilibus, is certè in solo est sensorio, ipsa verò sensitiua vita, vt cum simplicitate loquar, iudicat occurrens sensibile, iudicium namque ipsum intrinsecus est, nihilque assumit extrinsecus. Quam ob causam additum putat verbum (videtur) quia vere sensibile non agit in se solum: sed tantum videtur, dum quidpiam in sensorium imprimat. Quod illis considerandum erit, qui dum alibi legunt, sentire esse quoddam pati, passionem ab obiecto in sensum speciebus immixtis factam interpretantur. Accedit, quod si ea sit verborum sententia, pugnantia Philosophus loqueretur, dum ibi sentire affirmat esse pati & alterari, hic autem passionem aut alterationem esse negat. At dum nos prius quidem de sentiente ipsa facultate suum actum promente sermonem fuisse interpretamur, nunc autem de motu facto ab obiecto dici, nullam difficultatem patimur. Sensus namque sentiendum quidem & actum suum promendo ac suscipiendo patitur & alteratur: agit promendo, patitur & alteratur suscipiendo. At ab obiecto, nulla passioalteratio nulla: quoniam si qua sit, vt est per se, ea in organo est, nõ in sensu. Itaque minus probanda fuerit interpretatio illa Themistij dum presentem locum de actione sensus intellexit. Quod & pugnantia loquentem, aientem & negantem, Philosophi faciat: & omnino manifestum sit non esse de illa sermonem, vbiquaritur, quomodo sensibile obiectum de potestate ad actum deducat sensum.

Ergo si passio non est neque alteratio, aliam Philosophus conficit motus speciem: non quod si alteratio non sit, aut ortum esse oporteat, aut accretionem, aut mutationem loci. Tum quia hæc omnia passionem habent, sensus autem proprie non patitur. Tum quia propterea videtur motus vniuersi definitio commemorari, vt & omnes species motus excludantur, & quomodo res omnino in sensu habeat explicetur. Sed quod aut passio sit aut alteratio alterius generis, vt in tex. 57. libri secundi dicebatur; non inquam corrupes sed perficiens: & velut transitus à non agere ad agere. Aut quod motus omnis imperfectum & imperfecti subiecti actum ad perfectionem suam progredientem, & ideo patibilem & cum potestate, imperfectione, & successione permixtum significet. Actio autem sensus impatibilis est & momentanea, nullumque potestati locum relinquit: quia & totus simul habetur, & perfectæ rei est actus & ipse perfectus: simpliciter autem actus qui potestati permixtus non est, alius est, qui perfecti, hoc est diuersus à motu est, isque non est actus imperfecti, quem admodum motus: sed perfecti & actu iam existentis. Hocque tum ex parte sensibilibus, quod actum habet & formam, qua sensum mouet. Tum sentientis quod perfectum est actu primo, quo secundum promere valet: & si promat mutatio potius est, quam motus: Atque hæc quoque in re sensus intellectui planè similis est. Nam intellectus ite actu primo perfectus est, illiusque actus nõ imperfecti, sed perfecti, est actus

Contra species intentionales

Sentire vt sit actus moueri



non est motus, sed intelligentis solum perfectio. Quare in text. 2. dicebatur si intelligere est sicut sentire, aut pati, aliquid erit ab intellectu, aut aliquid aliud eiusmodi.

Huc etiam demum spectat distinctio illa posita in commemorato textu 57. passionis duplicis, quarum altera sit à contrario, & idèd corumpens, altera talis potius & perfectio. Illa enim ad motum & passionem pertinet, hæc ad aliud mutationis genus, quod & sensui & intellectui commune est.

TEXTVS.

Τὸ αἰσθῆσαι οὐκ ἔστι διάνοια καὶ οὐκ ἐστὶν ἐπιστήμη καὶ οὐκ ἐστὶν ἔργον ἀλλὰ τὸ αἰσθῆσαι ἴδιον τῆς ψυχῆς καὶ τῆς φύσεως αὐτῆς.

Sentire igitur simile est dictioni solum & intellectu. Cum autem iucundum aut molestum, quasi affirmans aut negans, persequitur aut fugit.

COMMENTARIVS.

Simplicius & Philoponus de actiuo intellectu sermonem esse inquirunt. et alter quidè similitudinem doceri sensus & intellectus actiuus; ubi sensus non sensibile simpliciter, sed ut iucundum aut molestum apprehendit. Alter verò actiuum intellectum à theoretico distingui, quòd hic erit dumtaxat contemplatur & falsum, ille bonum & malum cognoscit; hic similis sensui sensibile suum tantum cognoscenti, ille velut sensus iucundum & molestum comprehendens, persequens aut auersans. Itaque illud (dicere solum) interpretatur dicere intrinsecus & cognoscere non ad agendum referre: & affirmationem ac negationem, sensum iucundi & molesti; quoniam iucundum accipimus & molestum non accipimus. At minus probandum videtur. Tum quòd nulla hic actiuus aut theoretici; sed intellectus absolutè & sensus mentio. Tum quòd si theoreticus intellectus similis sit sensui obiectum suum simpliciter cognoscenti, actiuus autem eidem cum iucundo & molesto componenti & quasi affirmanti & neganti, consequens fuerit compositionem, affirmationem & negationem, in solo esse intellectu actiuo, in theoretico non item. Quid verò absurdius dici potest?

Auctoris interpretationem sciens prætermittito; quòd minimè omnia sit accommodata. Sive illud consideres, antea Philosophum sensus & intellectus similitudinem declarasse, nunc verò docere similitudinem inter sentire & intelligere. Sive illud (sentire simile est dictioni solum & intellectui) hoc est momento sit, non secus ac si quis ad simplicem alicuius pronuntiationem statim intelligat, sive illud, per hoc Philosophum declarare causam, cur intellectus intelligat sine tempore: cum nullam tamen exponat causam: aut si illa sit, quæ colligi posset, quia intellectio est actio perfecta & abique eo quòd præcedat illam actio diminuta: nimirum principij petitio esse videtur, & idem per idem aut ignotum per æquè ignotum ostendi.

Vnum illud verè pronuntiauit, similitudinem quandam doceri. Ergo secundam hanc Themistius credit similitudinem esse sensus & intel-

lectus. Nos tertiam facimus, Similitudo autem est, quod duplex in intellectu operatio, de qua dictum est antea, quoquo modo in sensu quoque reperitur. Nam ut intellectus aut simpliciter solum quiditatem apprehendit abique affirmatione vel negatione, aut eam cum aliqua alia adiecta componit, affirmando aut negando. Ita sensus quoque aut proprium sensibile solum cognoscit, aut in eo iucundum vel molestum persentit, componendo quasi & affirmando aut negando. Propterea enim dixit (quasi) quoniam affirmat & negare proprium intellectus est & rationabilis facultatis, in sensu quidpiam est simile, si non habet suum obiectum, sed ut iucundum & molestum apprehendit: & quasi componit, alterum intellectui ponendo, alterum ab eo demendo. Itaque verborum hæc est sententia; sentire, proprium scilicet obiectum per se & solitariū, simile est dictioni solum & intellectui, hoc est simplici quiditatis apprehensioni, quæ dicitio solum est, & non dicitio aliquid de aliquo; intellectio, non affirmatio. Respondent enim hæc verba superioribus illis (est autem dicitio quidem aliquid de aliquo, velut est affirmatio) atque ex utroque loco duplex dicitio cognoscitur; vna simplex primæ operationis, quæ dicitio solum est & intellectio, altera composita, quæ dicitio est alicuius de aliquo & affirmatio. Quibus in sensu respondet sensio obiecti per se ut obiectum est, & obiecti ut iucundum aut molestum.

Porro in illis verbis (persequitur aut fugit) quartam ego similitudinem agnosco. Nam ut sensus suum dumtaxat obiectum est, sentiens neque persequitur neque fugit; aut verius nullus exatur persequutionis aut fugæ appetitus: excurrit autem, cum ut iucundum aut molestum cognoscit. Ita & intellectus quandiu in sola rei cuiusque consideranda quiditate versatur, neque pronuntio sequitur neque auersio: At ubi tanquam bonum aut malum intelligit, appetitus aut persequutionis aut auersionis illi cõmouetur, quodque est in sensu iucundum aut molestum, sicut vel insuauis; hoc in intellectu est bonum aut malum. Quod de vero bono verò, malo accipimus. Alioqui ampliori significatu omnis persequutio est boni, omnisq. fuga mali: & iucundum sensus bonum est, & molestum malum; & idèd ad iucunda impellit, quia bona; Auertitque à molesta quia mala. Et si hæc sensus non ita distinguitur in intellectu. Et bonum vniuersè sumptum tripartitè diuiditur, in vile, iucundum, & honestum; malumque item bono contrarium, in damnosum, molestum, & turpe. At sensus iucundum & bonum nequaquam distinguit: distinguit intellectus, qui multa iucunda mala, contraq. molesta quam plura bona esse decernit. Propterea bonum & mali iudicium intellectus potius, quam sensus esse dicimus: In dèq. inter sensum & intellectum pugna, dum sensui iucunda mala, molestaq. bona esse intellectus dicit.

Prosequutionem affirmationi simillimam, fugam negationi, propterea dixit Themistius, quod vnicæ verbis hæc similitudinem contineri putauit, non distinxit duplicem. Verius prosequutionem dixisset subsequi affirmationem, fugamq. negationem. Quoniam dum bonum esse affirmamus, prosequimur; dum non bonum aut non amplectendum, auersamur & fugimus.

TEXTVS.

Dante Alighieri

TEXTVS.

Καὶ ἐστὶ τὸ ἡδέεσθαι καὶ λυπηθῆναι τὸ ἐκέρχεται τῆ ἀσθητικῆς μυσθ-  
την ἀσθητικῆς τὸ ἀσθητικῆς, ἢ ἡσυχία.

Et delectari ac dolere est agere sentiente medietate ad  
bonum aut malum, quatenus talia.

COMMENTARIVS CXIX.

Quoniam ἡδὴ ἢ λυπηθῆναι, iucundum aut molestum  
nominauerat, libuit etiam de ἡδέεσθαι & λυπηθῆναι,  
de delectatione ac molestia seu dolore, quæ ex illis  
oriuntur, dicere. Quid autem hæc sint ita definit:  
Delectari & tritari est agere sentiente medietate  
ad bonum aut malum, quatenus talia sunt. Sentien-  
tem medietatem S. Thomas communem sensum  
interpretatur; quod is particularium sensuum com-  
paratione medium quoddam est & velut centrum  
comparatione linearum, quæ ab ambitu ad ipsum  
ducuntur; vt in comment. 36. in superioribus di-  
cebat: tamen eo loco S. Thomas non de centro,  
sed de puncto partes lineæ copulante interpretatus  
fuerit exemplum puncti, quod in textu 149. sensus  
illius naturam Philosophus exponebat. Sed eo loco  
magis erat opportunum circuli medietatem sensum  
communem exponere. Nunc enim non de com-  
muni, sed de particulari sensu est sermo, quem cum  
intellectu hæcenus comparauit illique similem esse  
ostendit; & in textu 26. aspectum proprii nomina-  
uit. Et si sentire iucundum aut molestum vnusquisq;  
sensus potest, cuiusque item fuerit delectari & mo-  
lestia affici. Delectantur enim moderato & con-  
uenienti obiecto molestia afficiuntur ab immode-  
rato & extremo vim illorum excedente, & oppri-  
mente aut certe dissipante. Et maxime tactus &  
gustatus: Quia quod spiritalis magis est vis cognitrix,  
eò remissior voluptas & dolor. Communis autem  
sensus non est hæc propria actio, sed plurimum  
particularium obiecta diiudicare.

Ergo loci huius sententia est colligenda ex text.  
118. eo enim loco sensum omnem dixit medietatem  
esse quandam inter eam, quæ in sensibus est, con-  
trarietatem: & ideò non æquale, sed redundans &  
excedens obiectum iudicare; quia quod medium est  
iudicandi vim habet. Iucundum & molestum sanè  
contrarietates quadam in sensibus sunt: de his  
iudicare ad sensum pertinet qui inter illas medius  
quasi iudex sedet. Et vt vnusquisque sensus medietas  
est inter extrema sui obiecti, aspectus inter albū  
& nigrum, au ditus inter acutum & graue, eodémq;  
modo ceteri; Sic de illis iudicat vnusquisque: Et  
extremis quidem læditur & tritatur, mediocribus  
autem delectatur. Solus Philoponus delectationem  
& dolorem, & ideò fugam quoque & appetitum  
actionem intellectus actiui significare voluit: quod  
fortasse delectari & dolere dixerit philosophus esse  
agere circa bonum & malum, quæ ad actiuum in-  
tellectum pertinere videntur. Sed animaduertere  
debuisset illud (est agere sentiente medietate.  
Apertè enim dicitur esse actio sensus. Atque in eo  
magis propriè, quàm in intellectu, delectatio &  
dolor nominantur. Quæ si circa bonum & malum  
esse dicuntur, propterea dicuntur, quod multa sunt  
bonorum & malorum genera: & sensus quoque

A bonum & malum diiudicat, sed à iucundo & molesto  
non distinguit, quemadmodū distinguit intellectus.  
Et fortasse dum delectari & tritari, dixit esse agere,  
ad veteres illos respexit, contra quos in septimo &  
decimo moralium disputat, qui voluptatem inquie-  
bant esse motum seu generationem in naturam  
proficientem, doloremq; motum præter naturam  
ostenditq; actionem esse aut perfectionem actionis  
alioqui contemplatio voluptas non esset, quod mo-  
tus ibi & generatio non sit. Delectari autem & do-  
lere est agere, siue in sensu spectetur, siue in appeti-  
tū; quia in sensu iudicium significat, & in appetitu  
amplexum aut auersionem erga obiectum præsens.

B Paucis igitur verbis sint delectari & dolere,  
cuius sint, quam habeant causam, & circa quid ven-  
sentur, docet Philosophus. Delectari & dolere est  
agere; etsi passionem maximè significari videantur.  
Est enim iucundū aut molestum obiectum cognos-  
cere. Hæcque actio sensus est, qui quod in medio-  
critate consistat, mediocri & conuenienti sibi dele-  
ctatur, molesto & inconuenienti læditur. Denique  
circa bonum aut malum versantur: bonum enim  
iucundum delectationem, malum molestum do-  
lorem & molestiam parit. Qui locus non erit illis  
prætermittendus, qui sensationem meram esse passio-  
nem, non actionem vllam, dicunt. Apertè siquidem  
actionem esse ait Philosophus.

Porrò illud ( quatenus talia ) triplicem habet ex-  
positionem. Primam Philoponi; sensum delecta-  
ri & dolere circa bonum aut malum, quatenus ad  
animal referuntur: non sunt enim per se bona aut  
mala, sed vt animal seruantur aut perdunt. Alteram  
Simplicij, Auerrois, & aliorum, sensum illis affici,  
non quatenus bona sunt aut mala (quippe hæc non  
sensus, sed intellectus diiudicat verum quatenus  
sensui suaui sunt aut insuaui & molesta, bonoq; &  
malo similia: hoc enim sunt sensui suaue & insuaue,  
quod intellectui bonum & malum. Tertiam, qua-  
tenus talia, hoc est quatenus bona & mala: Quo-  
niam bonum & malum genus quoddam est, quod  
non solum honestum orationis bonum & huic con-  
trarium malum; sed bonum quoque iucundum &  
delectabile, malumque contrarium continet, quæ  
ad sensum pertinent.

De delectatione  
& dolore

Sensum esse acti-  
onem

TEXTVS.

Καὶ ἡ φωνὴ δὴ καὶ ἡ ἀρετὴ τὸ πρὸς ἡ κατὰ ἐκέρχεται, καὶ οὐχ ἡσυχία  
καὶ λυπηθῆναι καὶ φλυπηθῆναι, οὐτὲ ἀσθητικῆς, οὐτὲ τῆ ἀσθητικῆς, ἀλλὰ τῆ  
ἡσυχίας.

Et fuga quidem & appetitio, quæ secundum actum  
hoc. Neque diuersum appetens & fugiens, neque inter  
se neque a sentiente, sed esse aliud.

COMMENTARIVS CXX.

D Delectationem & dolorem sequuntur appeti-  
tio & fuga, quæ desiderium significant. Suaue  
namque & iucundum prosequimur, ab insuaui &  
molesto auertimur & recedimus. Sed verborum  
illorum ( & fuga quidem & appetitio, quæ  
secundum actum, hoc ) sententia hæc fuit Auerrois;

Sensus  
omnes  
delectari  
& dolo-  
re.

Fugam & appetitionem eorum esse, quæ secundum actum, hoc est quæ presentia sunt & indiuidua. Nam appetitus sentiens circa hæc sola versatur, intelligens autem circa absentia quoque & vniuersa. At non dixit Philosophus fugam & appetitionem eorum esse, quæ sunt actu: sed fugam & appetitionem, in *καὶ ἐπιθυμίαν*, quæ est actu, hoc esse; nempe agere circa bonum & malum, quemadmodum & delectatio & dolor. Verum delectatio quidem & dolor sentientis sunt & cognoscens virtutis, appetitio autem & fuga appetentis: versanturque circa idem obiectum, sed delectatio quatenus illud suaue est & iucundum, appetitio quatenus perficit, dolor quatenus infuaue & molestum, fuga demum quatenus perdit.

*Delectatio vero & dolor, appetitio & fuga ut distinguuntur.*

Iam quoniam hæc omnia, sensus, delectatio & dolor, appetitio & fuga, partim circa idem, partim circa diuersum versantur obiectum, opportune subiungit, quatenus hæc distinguenda sunt. Appetitio & fuga eiusdem profus facultatis actiones sunt. Idem namque appetitus, qui conueniens & bonum amplectitur & prosequitur, ab inconuenienti & noxio refugit illudque auersatur: scitumque est illud, eadem est contrariorum facultas; quod non modo de patiendi, sed & de agendi facultate verè pronuntiat. Idem quippe aspectus est albi & nigri, auditus acuti & grauis, odoratus suaui & molesti, gustatus dulcis & amari, tactus calidi & frigidi, humidi & siccis, intellectus veri & falsi, appetitus demum boni & mali. Nam & hæc, inquit Themistius, quæ videntur auersiones esse & fugæ, appetitiones quædam sunt. Cum enim quis fugit, appetit fugere cupitque vitare quæ reprobatur. Itaque in actionibus huius animæ hic est ordo, ut adnotauit quoque Simplicius. Prima omnium est sensus; deinde delectatio aut dolor: delectari enim aut dolere absque cognitione impossibile. Postremo appetitio sequitur aut fuga obiecti, quod delectationem aut dolorem attulit. Atque ita loquebatur Philosophus in tex. 20. libri 2. Vbi sensus est, & dolor & voluptas consequitur; vbi autem hæc, ex necessitate concupiscentia. Sed quod delectationem addit Simplicius passionem meram significare, appetitione verè actionem, qua ad suaue extenditur anima & impetum in illud facit: Philosopho aduersatur, cuius illa fuerunt verba (delectari & dolere est agere sentiente medietate. Vtrobique igitur est actio, in delectatione & dolore actio sensus; in appetitione & fuga actio appetitus.

*Appetitus à sensu distinctio*

Rursum à sentiente quoque diuersa non est appetendi facultas: quibus verbis penè omnes video interpretari negatam fuisse subiecti diuersitatem; nempe non esse duas hæc facultates in diuersa animæ parte, sed in sentiente & irrationali ambas; vt Simplicius & Philoponus inquirunt. Quod aduersus Platonem ponentem sentientem in cerebro & appetentem in iecore dictum fuisse putat S. Thomas. At liceat mihi obijcere, huic non diuersitati diuersitatem eam opponi, quæ consequentibus illis verbis (sed esse aliud) continetur. Hanc autem esse diuersitatem rationis ad definitionis, iidem illi omnes fatentur interpretes; atque ex familiari Philosophi loquendi modo manifestum est. Quò minus ad rem Aueroës diuersitatem actionis, & Simplicius proprietatis intellexerunt. Diuersitati autem rationis ac definitionis aduersatur potius diuersitas rei, quam subiecti. Quoniam in eodem subiecto plura contineri possunt re quoque diuersa accidentia; vt in pomo color, & sapor, &

odor: & has ipsas ceterasque eiusdem animæ facultates re distingui, complures graues philosophi & ille ipse S. Thomas contendunt. Quæ interpretatio nostra si placeat, poteris ex hoc loco opinari nem eam confirmare, quæ animæ facultates ratione sola ac definitione, non re, tum inter se tum ab ipsa anima distingui quod admonuisse satis.

At quorum hæc omnia? Non ad ostendendum theoreticum intellectum ab actiuo ratione solum differre, vt Philopono placuit & Simplicio. Sed magis Themistii quoque sententia, vt in *ἡδύκατα* sensus & intellectus comparatione persistens quemadmodum res habeat in intelligente parte ostendat. Cognitionem omnem obiecti boni aut mali consequi necesse est prosequutionem aut fugam, quæ ambæ ad vnam pertinent appetentem virtutem. Cognoscentes facultates due sunt, sensus & intellectus: totidem igitur appetentes esse oportet, quarum vna comiteur sensum, altera intellectum: illa concupiscentia dicitur & desiderium, hæc voluntas. Concupiscentia circa res materiales solum, sensuales, & singulares, voluntas circa immateriales quoque & vniuersas. Appetens & fugiens tum in concupiscentia tum in voluntate idem re aut huius obiecto sunt, tum inter se, tum cum facultate cognoscente, quam comitantur: illa cum sensu, hæc cum intellectu, sola ratione ac definitione distinguuntur. Quocirca quinta hæc fuerit sensus & intellectus similitudo: qua in utroque appetitus est cognitionem consequens ad prosequendum vel fugiendum, isque siue ad sensu siue ab intellectu nequaquam nisi ratione ac definitione distinctus.

TEXTVS.

*Τὸ δὲ διανοητικὸν ψυχῆς πᾶσι φαντασμάταις ἐπιθυμῶσιν ἢ ἀπαρῶσιν ἢ κινήσει φησὶ τὸ ἀποφεύγειν, ἐπιθυμῶν δὲ δὴ καὶ τῶν τοῦ αἰσθητικοῦ, καὶ τῶν ἀσχημάτων ἢ ψυχῆς.*

*Dianoëtica autem anima phantasmata tenet sensu sunt. Cuiusmodi bonum aut malum dixerit aut negauerit, fugit aut prosequitur. Quare nunquam sine phantasmatum intellectu anima.*

COMMENTARIVS CXXI.

Siue dianoëtica animam interpretetur Philosophus theoreticum intellectum; siue Themistius actiuum, siue neutrum Simplicius, sed absolute ratiocinantem intellectum & quasi transigentem atque ex vno ad aliud progredientem, vniuerse ex alio colligentem, quod tum actiuo tum theoretico commune est: Planè intelligitur dianam Aristotelis ac Peripateticis ad intelligentem pertinere partem intellectumque significare, non cogitativam illam, quam Aueroës & discipuli eius commentati sunt. Quæ de re in superioribus sæpè dictum est. Et hoc loco Aueroës quoque rationalem animam & quamlibet eius facultatem, siue actiuam, siue contemplaticam, intelligit. At quomodo hæc constet Simplicius non video. Quippe in comment. tex. 28. dum actiuum intellectum appellari dicit dianam, phantasiaque vti, & circa bonum & malum versari, omnino hæc, quæ hoc loco affirmat philosophus, de actiuo intellectu, quemadmodum & Philoponus, interpretatur.

Quod

*Sexta intel- lectus est sensus similitudo.*  
 Quod ergo ait Philosophus, sextam continebit sensus & intellectus similitudinem. Nam quod sunt in sensu sensilia, hoc intellectui sunt phantasmata. Sensus ad sensibilibus mouetur, & intellectus irem à phantasmatis: & ut sensus præsentibus eget sensibilibus, ut sensibilibus actum promat, ita & intellectus phantasmatis indiget ad intelligendū. Quam propositionem etiam Philosophus absque probatione videatur accipere, ex vniuersa tamen superiori disputatione colligit qua facultatū animæ subordinatio fuit stabilita. Nam si vna ministrat alteri; sensus exteriores communi sensui, hicque phantasia, supra phantasia solus superest intellectus, cui illa ministrat obiectum; verèque phantasmata perinde ad intellectum se habent, ac sensilia ad sensum & phantasia. Potius tamen hic phantasia, que sensum considerat, nominèque phantasia significauit; quod ea maxime ad rem præsentem faceret: atque hæc philosophi est propositio; Vt se habent sensilia, sensibilibus exterioribus & interiori communi percepta, ad phantasia; ita phantasmata, que in phantasia sunt; se habent ad intellectum. Perinde tamen constabit sententia, si ad sensum vniuersè referatur, tum exteriorem, tum interiorē; ut se habent sensilia ad sensum, ita phantasmata ad intellectum, seu dianam.

Quamquam alia quædam interpretatio esse potest, & meo quidem iudicio perquam accommodata: si hæc omnia verba superioribus omnibus ita respondeant, ut que de sensu prodita sunt, in intellectu simili modo ostendantur habere. Sensibile dixerat in tex. 28. ex eo, quod potestate sensitiuum est, actu sentiens efficere. Eandem nunc in intellectu vim habere inquit phantasmata, esseque ceu sensilia in sensu, dum intellectum ad intelligendum mouent & faciunt actum. Rursum de sensu adiunxit (cum autem iucundum aut molestum, quasi affirmans aut negans, prosequitur aut fugit) & nunc de intellectu addit (cum bonum aut malum dixerit aut negauerit) coniungendo scilicet cum phantasmate bonum aut malum (non quasi, ut sensus; sed absolute & omnino affirmans aut negans: quippe illius propria est affirmatio & negatio, quatenus cognitam aut esse bonam aut non bonam) fugit aut prosequitur. Perinde namque intellectus affirmationem aut negationem appetitio boni comitatur fugam mali, ac sensus cognitionem iucundi aut molesti prosequitio sequitur aut auersio.

Sed tacite illud quibusdam videtur subnotari discrimen; quod in sensu non statim ex apprehensione appetitio sequitur aut fuga: sed delectatio aut dolor, indeque appetitio aut fuga; ut in tex. 29. dicebatur. At in intellectu statim ex affirmatione aut negatione boni vel mali prosequitio nascitur aut auersio, volitio aut nolitio. Etenim intellectus percipit bonum & malum per se, quatenus talia sunt: sensus non item, sed solum quatenus illud suauis est & iucundum, hoc insuauis & molestum. Quæ ratio potior est, quam ea, qua vtitur S. Thomas. Quoniam scilicet intellectus bonum vniuersum apprehendit, sensus autem determinatum bonum. Nisi enim vniuersum bonū dicat bonum ut bonum; & bonum determinatum, bonum suauis & iucundum; parum profectò est accommodata ratio. Perinde namque si intellectus donum aliquod particulare ac determinatum dicat esse bonum, voluntas statim amplectitur, & malum item particulare auersatur, etsi delectatio aut dolor non antecesserint: & intellectus

actiuus circa particularia & determinata bona vel mala versatur. Atqui in intellectu quoque, si non delectatio, voluptas certè reperitur, dum contempletur rei que cuiuspiam cognitionem assequitur. Cui spiritalis quidem opponitur displicentia. Et actiuum intellectum voluptate ac tristitia vti ait Philoponus. Ita & in sensu & in intellectu omnia fuerint paria.

Sed quoniam Philosophus perinde ad intellectum dixit se habere phantasmata, ac se habent ad sensum sensilia; atque à phantasmatis intellectum, ut à sensibilibus sensum, ex potestate ad actum deduci; verè consequens illud est, quod ex his colligit, sine phantasmatis nunquam intelligere animam, quemadmodum nec sensus sine sensibilibus sentit. Quam si quis septimam dixerit esse sensus & intellectus similitudinem, verè mea quidem sententia dixerit. Quapropter hæc erit nostræ cognitionis progressio. Primus omnium operatur sensus circa præsentia sensilia deinde sensui succedit phantasia, sensibilibusque phantasmata: ac demum post phantasia intellectus accedit, qui à phantasmatis in phantasia contentis excitatus suas notiones format. Verèque, ex hoc loco aduersus Auempacem deduxit Auerroës, notiones intellectus non ita se habent ad phantasmata, sicut colores ad coloratum corpus & qualitas ad subiectum, sed ut color ad visum. Ut enim color visum ad videndum mouet, ita & phantasmata intellectum ad intelligendum: Atque ut phantasmata sunt in phantasia; sic & intellectus notiones seu intellectilia in intellectu; qui propterea locus formarum esse dicitur, atque intelligendo fieri omnia.

DIGRESSIO XXXVI.

Quatenus cum phantasia aut sine phantasia sit intellectus.

Alterum hic subsistendum tantisper est, dum ijs satisfacimus, qui ad intellectus nostri immortalitatem impugnandam abutuntur his Philosophi verbis. Sic autem argumentationem instruant suam.

In primo huius operis libro tex. 12. tum eam dubitationem proposuisset Philosophus, an animæ facultates omnes & operationes toti coniuncto communes sint, an verò aliqua in sola insit anima: cumque plerumque communes esse constaret, ac de solo intellectu dubitari posse videretur; generalem eam pronuntiauit sententiam, ex qua iudicium faciendum esset; Si intelligere est phantasia aut non sine phantasia, non poterit utique hoc sine corpore esse. Et rursum in tex. 13. si aliquam anima operationem habeat propriam, poterit à corpore separari, quod si nullam habeat, separabilis non erit. Huic propositioni assumptionem subiungit ex hoc, quem modo interpretati sumus, loco; Nunquam sine phantasmate intelligit anima: & rursum post ex tex. 39. Cum contempletur, necesse est cum phantasmate contemplari. Ex quibus intellectum intelligentemque animam mortalem omnino esse concludunt.

At multis modis responderetur. Prima responsio Auerroës est, & eorum, qui animam nostram intelligentiam ponunt separatam, vnamque humanam toti assistentem speciei. Eam namque essentia inquit separatam esse, duplicemque operationem habere; æternam vnam sibi propriam & absque phantasia; alteram in nobis & cum phantasmate: Priorèmq; separabilem mirum esse, posteriorem autem ab hoc quidem & illo homine separari, at nunquam à tota specie. Ita Phi-

*Septima intellectus est sensus similitudo*

*Phantasia maius ad intellectum se habent*

*Contra immortalitatem intellectus*

*Prima responsio*

